

Officii pertinere declaravit, ne Metae Regni Hungariae, Partiumque adnexarum abalienentur; Differentiae vero ratione Metarum cum vicinis quibuslibet, seu nunc vigentes, seu via non lege praescripta terminatae, seu exoriturae, per diaetaliter ad id denominandos Commissarios finitis Comitiis, in concursu Commissariorum pro Parte concernientium Provinciarum, per Suan Majestatem denominandorum, statim revideantur, Partibusque debite auditis, omni studio componantur et avulsa, in quantum ad alias Suae Majestatis Ditiones haereditarias applicita forent, non obstante eo, quod ejusmodi Tenuta Provinciarum illarum Contributionis Catastrum ingressa essent, Regia Authoritate restituantur.

*De legislativae et executivae Potestatis Exercitio.*

**Articulus 12.**

Leges ferendi, abrogandi, interpretandi Potestatem in Regno hoc Hungariae, Partibusque annexis: salva art. 8. an. 1741. Dispositione: legitime coronato Principi et Statibus ac OO. Regni, ad Comitia legitime confluentibus, communem esse, nec extra illa exerceri posse, Sua Majestas Sacratissima ulro ac sponte agnoscit, ac se Jus hoc Statuum illibatum conservaturam, atque prout illud a Divis suis Majoribus acceperat, ita etiam ad Augustos suos Successores in violatum transmissuram benigne declaravit, Status et OO. Regni securos reddens, nunquam per Edicta, seu sic dictas Patentales, quae alioquin in nullis unquam Regni Judiciis acceptari possunt, Regnum et Partes adnexas gubernanda fore, Expeditione Patentium ad eum duntaxat casum reservata, ubi in Rebus Legi alioquin conformibus, Publicatio debito cum effectu hac unica ratione obtineri valeret. Proinde

Forma Judiciorum lege stabilita aut stabienda, authoritate Regia non immutabitur, nec legitimarum Sententiarum Executiones, Mandatis impedientur, aut per alios impediri admittentur, nec Sententiae legitimae, Fororum Judiciorum alterabuntur, immo nec in Revisionem Regiam, nec ullius Dicasterii politici pertrahentur, sed secundum conditas hucusque, aut in futurum condendas Leges, receptam Regni Consuetudinem, Judicia per Judices, absque discrimine Religionis diligendos, celebrabuntur, executiva autem Potestas, nonnisi in sensu Legum, per Regiam Majestatem exercebitur.

*De Subsidii et Contributione.*

**Articulus 19.**

Non absimiliter et de eo plene securos reddere dignata est Sua Majestas Sacratissima Status et Ordines Regni, Partiumque adnexarum, quod Subsidia cujuscunque nominis sive in aere, sive in Naturalibus, aut Tyronibus, nec Statibus et Ordinibus, nec Ignobilibus Arbitrio Regio imponentur, imo nec praetextu liberae Oblationis, aut alio quocunque Titulo extra Diaetam, salva Dispositione Articuli 8. An. 1715. per Articulum 22. An. 1741. uberius declarati, sollicita-